

IV. Quae, in casu, mali origo fuerit prudenter inquirat Pastor, et, ut plurimum, indirecte, in quantum licet, illam auferre conetur.

V. Non tamen malum radicitus extirpare facile confidat: si quoddam rei remedium modumque posuerit, se plusquam satis officio suo fecisse existimet. Nam, saepe numero, has animorum divisiones ac discordias fere irreparabiles insanabilesque esse, quotidiana experientia docemur. Atque exinde, non minus lugenda quam risu digna in societate coniugali [ac potissimum si censu et divitiis coniuges praestent] condicio habetur. Externo quidem habitu ac coram publica opinione, [praesertim muliebri] concordia adeo quidem simulatur ut in deambulationibus, in visitationibus, in spectaculis frequentandis uterque coniux alteri numquam desit. Attamen, affectione atque intimo animi sensu, unus ab altero quam longissime abest: nam corde semper separantur, saepissime et mensa et thoro, atque in his omnibus quae intimam vitam coniugalem spectant, aversio ac divisio fit. Fere semper vero utrumque, vanitate ac corruptis populi moribus extantibus, fides coniugalis frangitur, atque sympathiam illam quam in legitimo coniuge interna aversio collocare prohibet, in extraneam partem refundere conantur. Tristissima quidem, praesertim pro misera prole [at utinam non verior!] quae nostra aetate [christianorum suorum munerum ignara] legalis vitae communionis quosdam inter coniuges viget!

405. — In tantis rerum angustiis an coniugum separatio consulenda sit, distinguendum videtur, et in primis et ante omnia audiantur canones¹:

I. — Vinculum matrimonii rati et consummati nullo prorsus divortio² potest dissolvi³. — Excipitur pro matrimonio legitimo infidelium unicus casus Apostoli [I Cor., VII, 15], nimirum, si cum altero coniuge ad fidem converso pars infidelis, rite interpellata, renuat converti aut cohabitare sine contumelia Creatoris. — Praeterea, matrimonium in infidelitate contractum atque, post unius vel utriusque conjugis conversionem et baptismam, non consummatum, potest auctoritate R. Pontificis dissolvi⁴.

II. — Matrimonia fidelium rata et non consummata possunt dissolvi: — a) per solemnem professionem⁵ religiosam; qua de causa, contracto matrimonio, bimestre conceditur a iure conjugibus ad deliberandum ante consummationem matrimonii, quo durante temporis spatio, alteruter potest, altero etiam invito, religionem ingredi; — b) per dispensationem S. Pontificis⁶.

III. — Non quidem dissolvi, sed nullum declarari potest matrimonium

¹ Cfr. Deshayes et DD. cit.

² D. D. in tit. *De divortiiis*, X, IV, 19 — Cfr. D'Annibale III, 470; Leo XIII, encycl. *Arcanum*, cit.

³ Trid. XXIV e. n. § 7. — Syllab. 67.

⁴ Gregor. XIII, *Quoniam saepe*, 23 jan. 1585.

⁵ Trid. XXIV, c. 6.

⁶ Benedict. XIV, *Quaest. can.* 24, 479.

auctoritate iudicis ecclesiastici, si, peracta diligenti inquisitione, de initiali valore contractus non constiterit.

IV. — Possunt coniuges separari perpetuo ob votum solemne ab alterutro emissum, aut propter susceptum Ordinem sacrum, altero consentiente; quo in casu, praeter mutuum liberumque consensum, requiritur: a) ut accedat licentia Episcopi, b) ut etiam alter conjux religionem ingrediatur et profiteatur, nisi sit aetatis propectae et ab omni suspitione incontinentiae immunis, [tunc sufficit emissum ab ipso votum perpetuae castitatis in saeculo coram superiore ecclesiastico et testibus].

V. — Locus etiam datur perpetuae separationi, ob commissum ab alterutro conjugum adulterium, moraliter certum, formale et consummatum¹.

VI. — Justae causae esse possunt separationis ad tempus: haeresis, periculum animae vel corporis, saevitia, molesta cohabitatio, etc.

VII. — Separationem privata auctoritate facere possunt coniuges; sed, saltem pro foro externo, regulariter iudicis ecclesiastici sententia requiritur.

VIII. — Sententia de divortio quoad torum et cohabitationem ejusque consuetudinem, ad solum iudicem ecclesiasticum pertinet², quae, tamen, haud illicite in civili foro petitur, ubi non potest tribunal ecclesiasticum adiri.

IX. — Divortium civile³ per se licitum est, si matrimonium religiosum quacumque de causa validum non existit; secus autem, stante vinculo matrimoniali, graviter, etsi forsitan non intrinsece et absolute, censi debet illicitum⁴. — In casibus particularibus, si opus fuerit circa cooperationem ad civile divortium, spectat ad Ecclesiam ferre iudicium.

406. — Bonus, igitur, Pastor sacras leges prae oculis habens, quas, prudenter, tum fidelibus omnibus suis in publicis concionibus, et si res postulat his quoque contententibus privatim recolet, sequentibus attendat:

a) Quoad legalem separationem excepto casu notorii alterius partis adulterii, nisi ecclesiasticis iudicis sententia praecesserit, vel in favorem partis innocentis, vel alia quacumque de causa, huiusmodi separatio decreta fuerit, civilem postulare separationem nemini licet.

b) Quoad vero ad non tantum thori et mensae, sed etiam cohabitationis, pacificam, consensualem et extralegalem separationem, remoto quidem scandalo, utrum in casu prolis, immo et ipsorum coniugum bonum, eam non modo non consulat, sed etiam iubeat, Pastor bonus attente consideret. Generali, enim, regula id praefiniri nequit, sed, singuli circumstantiae casus plurimum attendendae sunt.

c) De pleno, autem, divortio prout, nefaria legi civili, aliquibus in locis inductum est, ne verbum quidem facere licet; et tantum malum, omnibus pro viribus, a suo grege avertere, Pastoris officium

¹ S. Alph. VI, 960; D'Annibale III, 471 [23].

² Gasparri 1163.

³ Cfr. Leo XIII, encycl. *Arcanum* cit.

⁴ Lehmkühl III, 701.

esse omnino patet. Huiusmodi, enim, divortium, non modo in gravissimam Sacramenti iniuriam, sed et ipsorum coniugum, in miserae proles, in ipsius civilis societatis, [cuius germen familia est,] interitum et dissolutionem, ut humanae inconstantiae et insatiabili libidini omnia permittantur, diabolice invecum fuisse quotidiana experientia docet!

Articulus VI.

DE EXTREMAE UNCTIONIS SACRAMENTO EIVSQUE PECULIARIBUS ADJUNCTIS.

§ I. — De Extremae Uctionis Sacramento.

SUMMAE RERUM. — 407. Quae huius Sacramenti vis ac efficacia. — 408. Tum ex canonum, tum ex theologiae morum de hoc Sacramento synopsis. — 409. Pastoralia in re praecepta quae sint. — 410. Quoad infirmorum curam ac eorum agoniam quae a Pastore praestanda sint, practica ratione, per partes referuntur ac illustrantur.

407. — Clementissimus Redemptor Noster, qui, quovis tempore, salutaribus suis remediis omnium adversus hostium mortifera tela prospectum esse voluit, quemadmodum in aliis sacramentis maxima auxilia, quibus christiani dum vivunt ab omni graviore spiritus incommodo se integros conservari possunt preparavit, ita Extremae Uctionis Sacramento, firmissimo tamquam praesidio, vitae finem munivit. Quamvis, enim, adversarius aeternus, ut animas nostras quoquomodo devorare queat, per vitam omnem occasiones quaerat et captet, nullum tamen tempus est quo ad nos perdendos suae versutiae nervos vehementius intendat, quam cum vitae exitum nobis impendere perspicit.

408. — Tum ex canonico iure¹, tum ex morum theologia² deprompta synopsis praecedat:

I. Extrema Uctio est « sacramentum Novae Legis, ad moribundos spiritualiter et corporaliter per unctionem olei benedicti et sacerdotis orationem sublevandos, institutum ».

II. Materia Extremae Uctionis remota et necessaria est oleum³ ex olivis specialiter ab Episcopo benedictum⁴ [et quotannis renovandum]; apud Graecos oleum

¹ Cfr. Deshayes et DD. cit.

⁴ Trid. XIV, h. t. c. 1 — S. C. Offic. 13

² Cfr. Noldin, *Op. cit.*, n. 427 et seq. jan. 1665, 14 sept. 1842, 10 jan. 1850.

³ Jacob. V, 14.

benedicitur a presbyteris. Materia proxima sunt unctiones corporis, juxta modum et ordinem in *Rituale romano* descriptos¹.

III. Formula Extremae Uctionis haec est: « Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per... [hic sensus enuntiatur] deliquisti », toties repetita quoties unctio multiplicatur. Non debet forma terminari antequam unctio fuerit perfecta.

IV. In casu verae necessitatis, unica fieri potest unctio [in fronte] cum praescripta formula: « Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen² ». Si aegrotans supervivat, repetendae non sunt unctiones in singulis sensibus, et tantum orationes omissae recitandae³. — In dubio an vivat moribundus, ministratur sacramentum sub conditione *si vivis*.

V. Solus et quilibet sacerdos potest valide, solus Parochus aut sacerdos ab ipso delegatus potest licite ministrare Extremam Uctionem. Regularibus, sub poena excommunicationis, prohibetur hoc sacramentum ministrare absque Parochi vel Ordinarii licentia⁴.

VI. Subjectum cui valide ministratur hoc sacramentum est christianus, usum rationis jam adeptus⁵, et in periculo vitae, mortifero morbo, constitutus⁶; — nec iterari debet Sacra Uctio in eadem infirmitate, nisi ita sit diuturna ut, cum infirmus inceperit convalescere, iterum in mortis periculum incidat.

VII. Extrema Uctio nullo jure praecipitur; tenetur tamen Parochus sub gravi⁷ illam infirmis, tempore opportuno, regulariter post Viaticum, conferre.

VIII. Non licet Parocho assidue retinere domi sacrum Oleum⁸, excepto casu magnae distantiae ab ecclesia; et tunc servetur rubrica quoad decentem tutamque S. Olei custodiam⁹.

409. — Ad rem pastoralia monimenta audiantur:

a) Extremae Uctionis sacramentum, tamquam coelestis medicina a Christo Domino institutum, non animae tantum, sed, aliquando, etiam corpori salutaris, omni studio ac diligentia periculose aegrotantibus administrandum esse, *Rituale Romanum*, amplissime docet¹⁰.

b) Docendi sunt fideles *gravissime peccare eos qui illud tempus aegroti ungenti observare solent, cum iam omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiat. Constat, enim, ad uberiores Sacramenti gratiam accipiendam, plurimum valere si aegrotus, cum in eo adhuc integra mens et ratio viget, fidemque et religiosam voluntatem afferre potest, sacro oleo liniatur*¹¹.

c) Ut autem ad id facilius Parochi perveniant, ut falsam illam

¹ Tit. V, cap. 2.

⁷ Id. ibid.

² S. Offic. 25-26 april. 1906.

⁸ Cfr. pag. 273.

³ Cfr. *Monit. eccles.* XIX, 232.

⁹ S. R. C. 16 dec. 1826, 31 aug. 1872, 22 juin 1892.

⁴ Const. *Apostol. Sedis* § 2, 14.

⁵ S. Alph. VI, 717.

¹⁰ Cfr. in tit. *De Extrem. Unct.* n. 1.

⁶ Benedict. XIV, *Ex quo*, 1 mart. 1756

¹¹ Catechism. Roman. *De Extrema*

§ 44.

Unct. II, VI, n. 9